



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Viridarivm Sanctorvm**

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]  
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

**Rader, Matthäus**

**Avgvstae Vindelicorvm, 1607**

S. Ephraem Syrvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43013**

ergo surgeret, nam cernuus iacuerat, tria mala reperta magno animi gaudio degustauit. Regressus ex monte, duo cœnobia condidit, vitæque laboriosæ modum ipso sine viuendi fecit.

## ANNO TATIO.

**P**Rædicat hunc Theodoretus lib. 4. Eccles. hist. & cap. 6. SS. patrum historia vitam copiosius describit.

28. Ianua.

Græc.

1. Feb. Lat.

## S. EPHRAEM SYRVS.

\* Vide notas.

**H**IC in oriente natus, gente Syrus \* Theodosio M. imperante floruit, qui pietate Christiana à maioribus hausta, in ipsa prope pueritia religiosum vitæ monasticæ genus, est complexus. libros cœlesti gratiæ fonte inundatus, plurimos salutari pœnitentiæ luctu plenos edidit, multisq; sectandæ virtutis auctor extitit, et vnicum religiosæ vitæ exemplum posteris reliquit. Celebratur dies ipsi festus in æde S. Aquilinæ in loco quem Philoxenum, haud procul à foro situm, nominant.

## ANNO TATIONES.

\* Sozomenus histor. Ecces. l. 3. c. 15.

**V**T omnes scriptores S. Ephræm Syrum affirmant, ita non omnes in assignanda patria conueniunt, sed \* Nisibitam alij, alij Edessenum fuisse

fuisse tradunt. Vitam S. viri, vel Elogia composuere plures. Gregorius Nyssenus \* Amphilo-  
 us Iconij Pontifex. \* D. Basilius. D. Hieronymus  
 in Syllabo Eccles. scriptorum. D. I. Chrysostomus \*  
 Serm. de falsis Prophetis. Palladius vitam eius  
 scripsit, quæ M. S. græcè reperitur in Vatic. biblioth.  
 \* Theodoretus, Sozomenus. Menolog. Græcum \*  
 antiquum M. S. Simeon Metaphrastes. Anastasius \*  
 Synaita \* Photius Pseudopatriarcha, Georgius Ce-  
 drenus, Prodomus, Nicephorus Callixtus, Ioann.  
 Trithemius. M. S. S. Anonymi Græci, qui Edel-  
 fenū produnt, vt est apud Gerardum Vossium, qui ta-  
 men hoc ex Menæis Græcis testimonium & elo-  
 gium diuersum à menologio antiquo, non addu-  
 xit. Mentio quoq; est eiusdem in menologio quod  
 cum Sirleti interpretatione extat. Non tacent  
 eundem fasti Romani & Latini, sed diem Cal. Fe-  
 bruarijs celebrant.

Quod hunc Theodosio imperate floruisse Me-  
 næa tradunt, id Auctores non æquè omnes probat.  
 Ad Valentem tamen, qui præcessit Theodosium,  
 vitam propagasse testatur Hieronymus. Anonymi  
 docent illum vixisse temporibus Constantini & a-  
 liorum, qui post ipsum regnarunt. Menologium  
 antiquum à Vossio laudatum Cōstantinō magno  
 imperante natum esse memorat. Quod si ita est,  
 facile potuit ad Theodosium M. ætatem produ-  
 xisse.

Altera dubitatio est, an Diaconus vel presbyter  
 mortuus fuerit. S. Hieronymus & Sozomenus nō  
 vltra diaconi gradum progressum scribunt. Am-  
 philochius, Menologium antiquum M. S. Trithe-  
 mius, presbyterum à D. Basilio magno initiatum  
 asserunt. Sozomeni verba sunt. *Pauci verò post*

K

inter-

interpositis diebus, mortem obiit, qui quamquam in ordine Clericali ad diaconatum solum elatus erat, tamen non minus omnium sermone ob virtutem celebratus est, quam hi, qui ob Sacerdotij dignitatem, institutionem bona Vita, & excellentem doctrinam in magna admiratione fuerunt. Scripta ipsius, lingua Syriacâ, Græcus aliquis interpres transfudit humiliori oratione, ut Photius narrat, quæ Gerardus Vossius nuper latinè reddidit, & Scholijs illustravit, multæ versuum chiliades adhuc desiderantur.

Celebratur multa præclara illius facta, mirandus ortus, pueritia, religio, virtutes, testamentum, dictaque elegantia. Sed nihil æque memorandum ac mores in carcere emendati. Quod ut acciderit in vita eius non exponitur, sed in \* operibus ipsis Ephremi ab ipsomet prolixè narratur. quam ego historiam in pauca collectam tibi lector meis verbis legendam propono. Sequor potissimum eam narrationem (non nihil enim . . . variant) quæ secundo volumine extat.

Cum puer (inquit) sanè malè moratus, iussu parentum suburbium peterem, repertam in saltu buculam fetu gravidam capri crebra lapidum insectatione eo usque prosequi, donec onere ventris & cursu fatigata concideret. Mortua feris per noctem in prædam cessit; ego captum prosecutus iter obuiam habui iuuenæ dominum, ultimæ sortis & fortunæ hominem, sollicitè pecudem amissam vestigantem, meque peramanter salutantem, rogantemque an aberrantis bouis vestigia in silua alicubi deprehendissem. Ego ut me extra suspicionem facti ponerem, nullo dignatum responso insuper etiam contumeliosis oneratum dimisi. Exacto inde mense eandem viam remetiri iussum in nemore nox oppressit. O-

pilio-

\* Tom. 2.

p. 162.

tom. 3.

p. 599.

.. lege Fræ-

cisci Zini

metaphra-

sin Dilin-

gæ editam

anno 1562.

piliones qui gregem in silua pascebant, occursan-  
 tes quarunt, quo sub imminentē iam noctem ten-  
 derem? missu parentum, inquam, ad suburbium  
 illud propero. Diuerte inquit ad nos, occasum  
 iam solem vides, prima luce reliquam viam confi-  
 cies. Victus humanitate pastorum mapalibus suc-  
 cessi. Sed intempesta nocte ouilibus insidiata fe-  
 ræ gregem inuasere, totaq; silua distulere. Postero  
 die Magistri pecoris caulas inanes conspicati, me  
 furibus ducem rati, necquicquam Diuum homi-  
 numq; fidem implorantem ac testantem pratori  
 vinctum sistunt, qui custodiae mandatum duobus  
 reis adiunxit, quorum vterq; exors criminis cuius  
 affinis putabatur, occulta tamen vindicta Nu-  
 minis vtrumq; prosequente in suspicionem alter  
 cædis, alter adulterij, inciderat. Iam quadrage-  
 simum diem in carcere trahebam, cū se dormien-  
 ti species ephebi vultu formidabilis offert, qui me  
 tamen placidè affatus: Ephræm, inquit, quid hic  
 agis in vinculis? Domine, inquam, aspectu tuo  
 percussus totis arrubus contemisco fatiscoque.  
 Pone metum, inquit, & causam vinculorum ex-  
 pone. Domine, missu parentum in suburbium fe-  
 stinabam, sed tenebris occupatum custodes peco-  
 ris in tugurium inuitarunt; intetim de nocte gre-  
 gem lupi inuadunt, ac tota silua dispergunt. Hinc  
 ego postera luce à pastoribus reus peractus, arbi-  
 trantibus ductu meo prædones ad ouilia pene-  
 trasse, ad pratoria vinctus quamuis insons, me-  
 ramq; calumniam passus rapio. Hic ille reidenti  
 vultu: Noui, inquit, ego te extra crimen hoc po-  
 situm, impactamq; tibi puram putam calumniam;  
 sed quid ante menssem vnum aut alterum designa-  
 ris haud ignoro, cum in fælicis viri miserum pe-

eus crebra lapidatione confecisti. Disce ergo iustum esse tribunal Numinis, nullumq; cælesti vindictâ nisi nocentem plecti. Exemplo sint gemini illi iuxta tecum vinculis constricti, ambo eius, cuius insimulantur, noxę immunes, sed percontatus illos intelliges, cur illos in custodiam æquitas diuina dari permiserit. Hæc fatus adolescens ex oculis abijisse visus est. Expergefactus ego simul ac diluculauit, compello vtrumq;. Qui vos, inquam, fratres in hunc locū casus detulit. Cædis, inquit alter, accusor, & cædem nullam vnquã feci: Ego, alter inquit, alterius violasse torum dicor, cum fæminam alienam nunquam contrectârim. Enimuerd quid aliàs a vobis olim peccatum est, aut cuius caussa in has ærumnas permissu numinis deuoluti estis? Ante non multos dies, inquit ille falsæ cædis reus, cum extra mænia pontem flumini impositum transirem, secuti me alij duo in ipso ponte altercari cæperunt, gliscenteq; sensim rixâ, ad manus venire: vbi valentior alterum de ponte in subterfluentem vndam præcipitauit, & se subduxit: ego propter alueum inambulans illi cum fluctibus luctanti, opemq; meam vltimis votis & lacrymis suppliciter imploranti manum facilem non porrexi, passus infælicem diu multumq; frustra contra torrentem niti & me præsentem spectanteq; vorticibus fluminis abripi & hauriri. Hinc, opinor, ira cælestis me iustè persecuta in hos calumniæ casses, carceres & vincula coniecit. Dein alter falsa adulterij suspitione circumuentus. Et ego, inquit, meum vobis facinus exponam: Bilennum est, cum gemini fratres defunctis parentibus amplissimam hæreditatem adierunt, à quibus, nondū diuisas sorte, soror orba & vidua suam partem

partem exigebat, quam inficiaturi, sororem statuerunt calumnijs opprimere. Fornices innocenti, vagamq; libidinem obijciunt: negare illa, & iureiurando affirmare se puram & omnis culpæ expertem; instare illi, se testibus conuicturos, nocentemq; patrimonio exturbaturos. Bene sibi conscientia soror conditionem admittit. Conueniunt me fratres, paciscuntur quinquagenos aureos in calumniam. Spondeo, præsentibusq; fratribus & sorore, alijsq; testibus sacramento confirmo scortū esse, eiusq; rei mei conscium iuro deieroq;. Ita mulier hæreditate paterna penitus exuta per nos innocens infamia simul notata, & patrimonio spoliata est. Hoc meum est facinus. adulteriū de quo postulor, numquā cogitavi. Et te, inquiunt, quæ causa nobis socium vinculorum adduxit? Narraui de ouium grege a feris direpto, meq; eo nomine inculpatum esse: Ecquod tu crimen, inquiunt, olim concepisti, vt in capitis discrimen diuina te prouidentia venire passa sit? Buculam ego pauperis prægnantem lapidibus insectatus ad mortem adegī, ipsum insuper suam iuuenam vestigantem indignis conuicijs laceravi. Postridie prætor fontes ad tribunal sisti iubet, & quæstionibus subijci. Primus de cæde & vi appellatus constanter negat factum. torqueri iussus eadem constantia perseuerat in tormētis. soluto primo secundus pro adultero habitus ducitur, pariq; ratione tortus adulterium inficiatur. Ego interim metu prope exanimatus trepidabam & pauebam, magnāq; vim lacrymarum profundebar, vt qui proinde me ac cæteros ad supplicium quæstionum adductum scirem. Quin & lictorum turba me lamentantem petulanter palam irridere, & dictis incessere: serō

ploras puer, tum plorandum erat, cum scelus admisiſti: iam nunc in medium & tu proditurus es; quæ vox adeo vulnerauit animum meum, vti tantum non defectus ante mortem morerer. Tandem pronunciata in duos ſententia, videri innocentes, abſoluti ſunt ac dimiſſi: Ego imperio prætoris reductus in cuſtodiam alteros quadraginta dies ibidem exegi, cum tres alij in eundem mecum carcerem compinguntur. reuerſuſq; ad me ille adoleſcens, qui mihi per quietem viſus, erat; &: Ephræm inquit percontatus es ex illis duobus, quid peccauerint? Ego verò, inquam, & prolixè expoſui omnia, quæ ab ijs didiceram. Intelligis ergo, inquit, iudicia Dei iuſta? En duo hi gemini fratres illi ſunt, qui ſororem falſa ſtupri criminatione oppreſſam bonis paternis, exuerunt. Tertius eſt ille, qui de ponte hominẽ in flumen deiecit, cuius vi ac impetu abreptus interiit. Ego mox vt illuxit, adortus ſingulos de ſingulis quæſiui, qua culpa fuerint comprehenſi, & in neruum dati. Cum alij eadem falſam, alius adulteriũ necquicquam cauſaretur, & omnes ſe innoxios dicitarent. Regredimini inquam in memoriam æui retro acti à vobis, forte olim aliquid peccaſtis & non expiaſtis. Hic illi falſi calumniam ſorori factam, & ademptam hæreditatem. tertius depontanum illum à ſe in aquas præcipitatum dixit. Extorta à ſingulis confeſſione, aperui quæ cognoueram de alijs, qua illi narratione attoniti formidare cæperunt vindictam diuinam. Inſequenti die quæſitor omnes ad publicum tribunal adduci præcepit, vbi ſpectante toto populo rotarum gyris adſtricti, diuq; excarnificati facinora ſua omnia ediderunt, cædes, adulteria, calumnias, lataq; ſententia me præſente  
 in fur-



in furcam acti animas exhalârūt. Quid mihi tunc animi, quis sensus, ac trepidatio? Lictores enim, age puer inquit non ita quæstionem vt nuper euades, quib<sup>9</sup> ego externatus mortuo ppior quam viuo videbar. Ergo tandem prætor, puerum inquit veste spoliata, spoliatum loris à manibus pedibusq; distendite, neruisq; bubulis mactate. Hic ego mille votis cælum oneraui, Deumque infimis precibus propitiare conatus, religionem profesturum sponendi, si me præsentis supplicio eriperet, & vinculis exempto salutem expediret. Audire mox visa Dei clementia lacrymabiles gemitus meos: ex consilio iudicum primus monet prætorem, vt si videretur, in aliud tempus cognitionem reijceret meæ causæ, prandii horam esse. Reducor ego oneratus ferro in vincula, aliosq; dies quinq; supra viginti in custodia solus exigo. Cum ecce tibi rursus ille iuuenis (haud dubiè tutelaris spiritus) mihi iam tertium adstat, & compellans. Satis ne credis iam inquit, iusto Dei iudicio mundum administrari, nec quicquam cõtra æquitatem ab eo fieri: plus satis inquam intellexi mirabilia opera Domini, & inuestigabiles vias eius, sed obsecro Domine qui me tam clementi affatu in vltimis his periculis & æumnis meis dignatus es, asserere me ex vinculis in pristinam libertatem, ego tibi vicissim totum vitæ meæ æuum deuoueo despondeoq; , monachum induam, & in omnem vitam sincera fide seruiam. Subridens ille: semel duntaxat adhuc ad tribunal susteris, & missionem accipies. Ah Domine inquam, minas & plagas iudicis pertimesco & reformido. Rursum ille placidè, tam grauius te peccasse non oportebat, nunc quoniam ob improbitatem tuam tu ipse te his calamitatibus im-

plicasti, quid agam? Enimvero non multa patieris, succedet huic nouus prætor, qui te missum faciet, & cum dicto recessit. Anxius ego propter euentus incerti expectationem, post quartum diem nouus prætor magistratum inuit parentibus meis familiariter notus, qui octauo quam inierat præturam die, quærit ex præfecto carceris, quos teneret in vinculis. Neminem præfectus inquit præter puerum. Productum in quæstionem, agnoscit, & nihilo secius ex legum præscripto causam cognoscit, & absolutum dimittit. Ego præter expectationem absolutus rectè in mortem profectus ad venerandi senis pedes procubui, statuque vitæ & discriminis explicato in verba Religionis & Monachi iuravi. Sed hæc vtilitatis publicæ causa exposui, vti iuxta mecum iustum Dei numen veneremini, quod modis omnibus omnium salutem procurat. Huius planè exempli vindicta in Limonatio Io. Euirati extat, quam negligere hic nullo modo possum. Poëmen religiosissimus erat anachoreta, ad quem conscientia tranquillandæ causâ venerat Agathonicus præses cœnobij S. Sabæ, quæ nocte appetente in proximum dimisit spelæum. Sequiebat tum atrox hiems, & Agathonicus per noctem frigore obriguerat, postera luce conuenit illum Poëmen, ad quem Agathonicus: Ignosce pater: & Poëmen; quid est filii? & Agathonicus: duram pertuli noctem, frigore prope perij: Ego inquit Poëme frigus nullum sensi. Quid ita inquit Agathonicus non frixisti, cum nudus etiam nū sis. Leo inquit Poëmen, iuxta me accubuit & me calefecit. Enimvero à feris olim discerendus sum. Nam cum pastorem ouium quondam agerem, vidi peregrinum à canibus inuadi discerpi & deuorari

*De Anachoreta à feris discerpi.*

porari nec succurri misero cum possem, nec prohibui, decretum ergo diuinitus est vt ego quoq; pari mortis genere occumbam. Post triennium ergo discerptus interiit. Subnectam & aliud diuinæ cęturę monumentum his affine. Henricus in dioptra exemplorum narrat, cuidam viro nobili fuisse multis annis seruum in primis fidum & gnauum, adeoq; ad omnia imperata promptissimum. Vsu venit vt Dominus per siluam equo vehens vidulū argenti triginta pondo, seruo pone sequente nec aduertente perderet. Vbi ad flumen ventum herus folliculum pecuniarum desiderat, quærit è seruo, inueneritne amissam bulgā? negantē illico irā inflammatus ac prope in rabiem actus stricto ferro persequitur, pede trūcat, semineceq; relicto, viam, qua inceserat, argento quærendo relegit. Seruus dolore pedis recisi propē exanimatus siluā eiulatu complet. Exciuit lamentabilis vox anachoretam haud procul inde degentem, reperit is humi iacentem, pedeq; pessimè mulctatum, commiseratione motus compellat, & quam potuit, verborum medelam adhibet; enimvero propiūs eum à morte abesse ratus hortatur, ad salutarem peccatorum confessionem & expiationem, monetq; hero vt suo ignoscat, Deum quoq; perinde clementem in se experturum, parati ad omnia cōfessionem excipit, causamq; facti totā intelligit; vnde maiori affectu infelicem prosecutus in cellam suam deportauit, maximaq; cura inseruire & mederi quibus potuit officijs cępit. Interim animo secum pertractans miserādum innocentis hominis casum quasi offendebatur in Deo, quod infontem seruum tam atroci calamitate tantisq; ærumnis premi opprimi q; passus esset. Hęc indigna de æquissimo sapientissimoq; Numine impiē

*Josephus  
Balardinus  
lib. 3. c. 47.*

cogitanti adstat angelus, voceq; huiusmodi affatur: Quid moueris indignarisque super iusto & abdito prouidentia diuina iudicio, an ignoras psalmos? Deum iustum iudicem & rectum iudicium eius? Haud nescio, inquit Anachoreta, sapieq; & legi & hactenus credidi, sed hodiè sortem innocentis & vltimi seruuli miseratus nō potui assequi, qua ratione tanta supplicia ppter noxas nō adeò graues dependat. Caue, inquit Angelus, tam impiè sentias loquarēq; de sapientissima æquissimaq; sententia Dei: nam omnes viæ ipsius iustæ & sanctæ. scriptum probè nōsti: Iudicia Dei abyssus multa. proinde noueris huic pedem amputatū, vt iustas pænas daret, quod hoc ipso quōdam pede iuuenis suam ipsius matrem ex curru indignis modis deturbârit, nec vnquam de hoc scelere vt par erat, doluerit. Hinc iustus Deus ob hoc illum facinus præsentī pæna affixit, vt mortuo olim posset parcere. Herum porrò scias illius, amissâ illâ pecunia ad plurima & maxima flagitia in suam & aliorum perniciem & exitium sempiternum abusus fuisse. Abstulit ergo verissimus Deus occasionem hanc ab illo in terris, ne cæli faceret iacturam. Contrâ is, qui in sacculum argenti amissi incidit, tenuis erat fortunæ, sed integræ vitæ, numerosæq; familiæ, qui argentum repertum quàmprimùm ad curionem suum detulit pro concione proclamādum, vt, si quis suum profiteretur, ei redderetur. parochus diuinitus de repertoris inopia doctus, cum nemo vindex adesset, partem ex illa inuentori transcripsit, reliquam in reliquos inopes paræciæ suæ partitus est. Hic religiosus ille siluæ cultor suam agnoscere temeritatem, seq; æternis dignū supplicijs fateri, pacem veniamq; flagitare.

Cui

Cui Angelus: Iam tibi summa Dei clementia ignovuit, prosequere constanti fortiq; animo captum pietatis iter, & sempiternis quondam gaudiorum premijs potiere.

Celebratur & alij duo nobiles Ephræmi, quorū alter patriarcham egit Antiochenū, alter \* Theopolitanū pontificem, ambo illustres & sancti. Sed ego ex Antiocheno & Theopolitano vnū facio Antiochia enim Theopolis dicta est a Iustiniano, sub quo Ephræmius hic vixit. \* Tertius fuit Episcopus & Martyr in Chersoneso. Narratur Ephræmi quædam pie simul & lepidè dicta, quæ in vita apud Vossium operibus præfixa leguntur.

*I. Eustratius  
c. 36. c. 37.  
\* Photius  
bibl. p. 420  
Menol. 4.  
Martij.*

## S. EVLOGIVS.

XIII. Febr.  
Græcis.

**H**eraclio imperante rexit hic Ecclesiam Alexandrinam ante D. 2. Ioanem, qui à benignitate in miseros Eleimon est appellatus; Miracula patravit \* multa; inter alia hoc quoq; illi accidit. 3. Leo pontifex Epistolam pro Calcedonensi concilio de re-  
cta fide scripserat, quam lectam S. Eulogius non probavit tantum & recepit, sed omnibus etiam promulgavit. Deus ergo utrumque honore prosecutus, misit angelum Archidiaconi, Leonis pontificis ornatum cultu, qui gratias ageret D. Eulogio ob receptam Leonis epistolam. Eulogius cum angelo perinde quasi cum homine & pontificis Archidiacono familiariter collocutus, evanescente spiritu, gratijs Dei persolutis animam suam in manus Domini commendavit.

13. Sept. apud Latinos

1.

2.

*Baronij  
Martyr.*

*Rou.*

3.

*\* Vide Eulogium  
Sophonisii  
c. 146. 148.  
148. 149.*

ANNO.